



A D

# LECTOREM

## PRÆFATIO.



Uod Tractatus nostri exemplaria jam dudum desiderari cœperant, & Bibliotheca polæ sæpius mihi testatus sit, passim ab Anatomicis excellentibus eundem expeti; hinc alteram hanc Editionem publicæ luci exponere æquum duxi; idque quidem eo magis, ut emendatior, simulque auctior, in publicum prodiret.

## PRÆFATIO.

ret. Varia ibidem occurrent nova, Anatomicis hætenus nondum tradita. *Salivalium Ductuum*, ex *Subjecto Humano desumptorum*, *Magnitudo Naturalis*, & *Fons Salivalis aperitur Novus*. *Ductuum Aquosorum Origo* & *Terminus* clarè & distinctè hic tibi representatur, & , ne quid deficere videatur, *Ductuum dictorum Defensionem* subjunximus; quibus, quæ iteratâ experientiâ tentavimus, certius constabunt.

Quam olim promisi *Lymphographiam Generalem*, hætenus ob varias occupationes, tam publicas, quam privatas, absolvere nondum potui. Ne interea *Reipublicæ Anatomicæ & Medicæ* obesse videar, Deo conatibus annuente, per partes eandem tradere conabor; quarum  
Speci-

## P R Æ F A T I O.

Specimen brevi Anatomes veræ  
Cultoribus examinandum, & Glandularum Conglobatarum ( quarum cognitio adeò obscura, sed summè necessaria ) fabricam offeram examinandam; simulque vasa, vulgo Lymphatica dicta, non esse Glandularum conglobatarum Ductus Excretorios, imo Lymphæ Materiam, à Glandulis illis, oculis passim obviis, originem non ducere, dabo perlustrandum.

Tu interea, *Bene-vole Lector*, adspice hæc sine invidia, lege sine præjudicio, pro solito tuo candore judica, & nostris laboribus frue. Si vero nonnulla aut hic aut alibi occurrant, quæ nec Tibi, nec aliis visa unquam fuere, & multi in rerum natura invenienda esse negarent;

*P R Æ F A T I O.*

garent; me conveni , mea vide,  
eademque perlustra & examina;  
non imagines delineatas , fed res  
ipsas invenies , quæ oculum non  
tantum , fed & Curiosorum ani-  
mum delectare valebunt.

*Ad*